



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

§. IV. An, & qualiter eligibilitati passivæ obstent censuræ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)



entes delicijs, epulis, & lascivijs; c. *Ec-  
clesia* 14. ead. Gulosi, c. *Sexto* 8. ead. &c.

§. III.

De legitimis natalibus requisitis in pro-  
movendo.

137. **I**llegitimè natus, etsi postulari possit,  
si morum probitas, & literarum sci-  
entia maculam eluat; tamen eligi non  
potest: habetur c. *Cum in cunctis*, 17. h. t.  
ibi: & de legitimo matrimonio sit natus;  
cui consonat c. *innotuit*, 20. eod. (ibi:  
quamvis autem canon *Lateranensis Con-  
cilij non legitimè natos adeò persequatur,*  
*quòd electionem talium nullam esse,* &c.)  
quamvis si postea legitimè dispensetur su-  
per tali defectu, electio convalescat, cum  
nullitas in hoc casu sit solùm juris positivi,  
& jure naturali teneat. Et hoc verum est,  
etiam sine novo consensu Capitularium,  
modò talis dispensatio non cedat in præ-  
judicium alterius. Not. autem, censeri  
legitimè natum, consequenter eligibilem  
ad Episcopatum, non tamen Cardinala-  
tum, per subsequens matrimonium legiti-  
matum; tales enim à tempore nativitatibus  
fictione juris habentur legitimi, ut dixi-  
mus l. 4. tit. *qui filij sint legitimi*; & tenet  
Covarruvias de sponsal. p. 2. c. 8. §. 2. nu.  
30. De Cardinalibus autem constat ex con-  
stit. Sixti V. incip. *Postquam*. Et quam-  
vis morum probitas, literarum scientia,  
personæ honestas, ac bona fama multum  
conducat, illegitimitatis tamen defectum  
non supplet, nec Pontificis dispensationem  
inducit, ut constat ex verbis c. *innotuit*,  
ibi: nam licet multa hoc casu dispensationem  
inducere videbantur, literarum sci-  
entia, morum honestas, vitæ virtus, fa-  
ma personæ, &c. electionem tamen irri-  
tam declaravit Pontifex, ut notat Barbo-  
sa ibid. nu. 10. licet ille defectus sit peni-  
tus occultus, ut notat Covarruvias in *Cle-  
ment. si furiosus*, pag. 2. §. 3. n. 4. & ideo  
necessaria est dispensatio, ad quam obti-  
nendam multum juvant merita personæ,  
juxta Tiraquel. de pœnis temper. causâ 51.  
n. 21. & 150. Not. tamen ejusmodi ele-  
ctionem, factam ab Electoribus solùm im-  
providè, juvari posse ob merita electi, &  
eligentium (esto erraverint eligendò, cum  
postulare debuissent) & humilem con-  
fessionem electi, qui maluit confiteri ma-

culam natalium, quàm læsâ conscientia  
thronum conscendere pastorem; non  
quidem ut electio valeat in vim electio-  
nis; vel ut dispensetur in defectu electio-  
nis: sed, ut Electores non puniantur pœnâ  
carendi pro ea vice potestate providendi  
Ecclesiæ vacanti; sed postulare permit-  
tantur, quem improvidè elegerunt; sic  
cit. c. *innotuit*.

§. IV.

An, & qualiter eligibilitati passivæ ob-  
stent censura?

**R**esp. excommunicatum excommu-  
nicatione majori nulliter eligi; cum  
beneficium sit propter officium, ad quod  
talis inhabilis est, c. *postulastis*, 7. de Cleric.  
excom. ibi: *Clericis excommunicationis  
vinculo innodatis, Ecclesiastica beneficia  
conferri non possunt, nec illi valent ea re-  
tinere licitè, nisi forsitan cum eis fuerit mi-  
sericorditer dispensatum, cum ea non fue-  
rint canonicè consecuti*. Illi verò, qui sci-  
enter illa beneficia talibus contulerunt,  
tamdiu debent à beneficiorum collatione  
suspendi, donec super hoc veniam conse-  
qui mereantur, ut puniantur in hoc, in  
quo delinquere præsumplerunt. Excipe,  
nisi fortè collatum sit post appellationem  
legitimè factam. Tunc enim non ligat,  
c. *ad presentiam nostram*, 16. de appellat.  
ubi habetur, quòd excommunicatus pen-  
dente cognitione appellationis, absolvi  
possit ad cautelam: & si appareat eum le-  
gitimè appellasse, non puniatur pro eo,  
quòd interim celebraverit divina. Si quæ-  
ras, an idem procedat, si sit excommuni-  
catus toleratus? Resp. excommunicato  
per Extravag. Martini V. (qua licet fide-  
libus cum illo communicare, ac ejus mi-  
nisterium petere, & illi ad eorum petiti-  
onem hoc præstare) nihil favoris concedi,  
adeoque inhabilem esse, ac vitandum, jux-  
ta Zoësum n. 27. videri tamen posset eo  
casu eligibilis, quo per ejus electionem di-  
rectè quæreretur favor eligentium; sed  
huic consuli per postulationem posset. Et  
quamvis Zoësius cit. velit, non convales-  
cere electionem secuta obicis ablatione,  
cum in principio fuerit nulla, esto absol-  
veretur ab excommunicatione, qua stan-  
te electus est; probabiliter tamen dici-  
tur

1838.



tur oppositum paritate sumpta à matrimonio nulliter contracto propter impedimentum dirimens jure positivo; cum hoc valde probabiliter conualecat impedimento per dispensationem ablato, habitualiter perseverante priori voluntate contrahentium, de quo agimus l. 4.

1839. Si quæras 1. an electio excommunicationis excommunicatione majori sit ipso jure nulla? Resp. probabilius dici affirmative, ut ostendimus l. 5. à n. 1946. quamvis alij probabiliter velint, solum esse irritandam; ita Zoësius, n. 30. & quamvis etiam probabile sit, quod, ut in c. fin. h. r. habetur, ubi talis electio dicitur irritanda, ly irritanda idem sit, ac irrita, eò quod ad susceptionem eorum eligatur, à quorum perceptione à S. S. Patribus est privatus: quia tamen casus pœnalis est, interpretatio stricta facienda est, & à propria significatione verborum non recedendum, juxta dicta tit. 2. ubi egimus de legis interpretat. Similiter dicendum de excommunicato excommunicatione minori, non esse eligibilem, electione saltem firma; cum debeat esse habilis ad susceptionem eorum, ad quæ eligitur, qualis non est taliter excommunicatus, c. fin. de Cleric. excom. ministrante; & Zoësius cit. n. 29. hinc similiter ejus electio est irritanda, juxta Zoësius: et si loco cit. l. 5. probabilius irrita ipso jure dicatur.

1840. Si quæras 2. quid? si eligentes ignorent electi excommunicationem, vel vinculum censuræ? Resp. adhuc esse irritam, vel saltem irritandam. Nam inhabilitas subjecti non oritur tantum ex culpa eligentium, sed maxime ex qualitate subjecti, & natura censuræ; ita Zoësius, n. 32. Nec obstat, quod in c. fin. dicatur, si talem eligant scienter. Nam ibi ponitur potius ad augendum, quam limitandum, ut sensus sit: electionem esse irritandam, non solum quia facta est ab ignorantibus censuram; quia sic defuit voluntarium; sed etiam, si scienter, quia scientia non tollit obicem ex censura, & potius respicit factum eligentium, cui statuitur pœna, si scienter talem elegerunt; sic glossa in c. fin. v. scienter.

1841. Si quæras 3. an suspensus ab ordine, beneficio, & officio eligi possit? Resp. negative, ob rationem datam in n. 1838. ejus tamen electionem non esse irritam, sed ipso

jure irritandam, docent aliqui, & confirmant ex c. per inquisitionem, 26. h. r. ubi male electus dicitur privandus officio; ibi: quatenus eum ab officio Præposituræ penitus amoventes; ergo non est privatus ipso facto; & textus non loquitur de electo, sed scienter indignum eligente, qui propter hoc suspenditur; & si tali electo in beneficio, quod prius habuit, substitutus sit, dicitur penitus removendus. Personaliter etiam interdicti eligi non possunt ad Prælaturam, vel aliud beneficium Ecclesiasticum promoveri, arg. c. cum dilectus, de consuetud. c. fin. de Cleric. excom. Sylvester v. Electio. l. 9. 14. Idem dic quoad electionem tam activam, quam passivam, de violatoribus interdicti tam localis, quam personalis, c. 1. de postul. Prælat. c. is, qui, & is vero, de sent. excom.

1832. Quæstio ulterior est 4. an irregularis sit eligibilis? Resp. quod, licet irregularitas non privet ipso facto beneficij obtentis (Abbas c. nisi, de renunt. n. 4.) ponat tamen inhabilitatem ad obtinenda munia Ecclesiastica. Et quamvis aliqui velint, quod irregularitas subjecti non reddat sic affecti electionem passivam de rigore juris nullam; affirmativa tamen securior est, & in praxi recepta, ut notat Zoësius cit. n. 36. Et quia inter irregulares numerantur hæretici, apostatæ, & schismatici, de his idem dicendum venit.

1843. Quæstio 5. an ad Prælaturam inhabilis sit, habens liberos; Resp. negative, quia nullus textus juris eos inhabilitat. Nec obstat c. de syracusana, dist. 28. Nam ibi hæc circumstantia non ponitur, ut inhabilitas, sed tantum datur consilium, ne facile tales admittantur, ut propter liberos bona Ecclesiastica non deperdantur, quem metum facile sanat personæ qualitas, & c. sunt, 12. q. 1. & Abbas. in. c. 1. de testam. n. 2. Not. tamen in petitione confirmationis, eam qualitatem esse exprimendam; quia cum posset ponere impedimentum, faceret confirmationem surreptitiam; sic Zoësius de elect. n. 38. quod maxime procedit, si habeat liberos illegitimos.

1844. Quæstio est 6. an ambitiosi eligi possint? Resp. eorum electionem prohiberi. Hinc si electus absolute consentiat in electionem sui ipsius, non ut faciendam, sed ut factam, ante Capitulare decretum electionis formatum, & publicatum, irrita censetur



setur electio propter ambitionem, c. *cum post petitam*, 46. h. t. & ideo glossa ibid. V. *requisitum*, docet: si quis consentiat, priusquam electus fuerit, etsi requisitus, cassatur electio propter ambitionem. Hinc, qui seipsum eligit, ambitiosus censetur, ideoque indignus, c. *scripturis*, 8. q. 1. cuius rubrica, seu summa c. sic se habet: *locus regiminis sicut desiderantibus est negandus, ita fugientibus est offerendus*: & qui professionem in Religione edit ob spem assequendae Prælatuæ, eo ipso indignum se ostendit, ut proinde eligi non debeat; & electio reprobari possit; ita sumitur ex textu c. 38. h. t. ubi Pontifex purificationem exigit, quod *nulla ambitione inductus fuerit*; & tradit Abbas hic, n. 2. Ambitionis autem satis apertum argumentum est, si quis ipse, vel per Amicos Electores, precibus sollicitat, ut in ipsum sua suffragia dirigant, ut habetur c. 26. h. t. id, quod hodie frequenter evenit, sed non bene.

1845. Quæstio est 7. an eligibilitati obstet retentio plurium beneficiorum? Resp. eum, qui plura beneficia curata, vel plures personatus, seu indignitates tempore electionis absque dispensatione sedis Apostolicæ simul tetinet, ad Prælaturam, vel aliam dignitatem eligi non posse, & electionem ipso jure irritam esse, tanquam electionem *indigni*, c. *dudum*, 54. de elect. §. *nos igitur*, ibi: nos igitur dictam excusationem, utpote frivolam, nullatenus admittentes, vobis dedimus in mandatis, ut, si constaret, quod *idem post receptum Archidiaconatum prædictum, curam animarum habentem, præfatas parociales Ecclesias, electionis tempore retineret, nec ostenderet secum per sedem Apostolicam super hoc dispensatum, electionem illius auctoritate Apostolica cassaretis*. Not tamen eum, qui ita deliquit, sine dispensatione retinendo plura beneficia, habilem esse electionis, si tempore electionis beneficia incompatibilia dimisit, nec cassandam ejus electionem; quia crimen per penitentiam purgavit. Nam ad meliora conversum, nequaquam prior vita commaculavit, c. *nunquam*, dist. 56. sed hæc intellige jure antiquo; nam jure novo per Extravag. *Execrabilis*, §. *porro*, de præbend. Joannis XXII. ipso jure privatus est non tantum utroque beneficio prius obtento,

Tom. I.

sed etiam *ineligibilis est ad quodcunque beneficium Ecclesiasticum obtinendum*. Nec obstat, quod Pontifex dicat: vobis dedimus in mandatis, ut electionem illius (qui nimirum plura simul beneficia incompatibilia tempore electionis retinebat) *cassaretis*; hoc enim intelligendum est, de cassatione per declarationem electionis nulliter factæ.

1846. Quæstio est 8. an eligi possit extraneus, seu qui non est de gremio talis Ecclesiæ? Resp. 1. quando in Collegio adest persona idonea, non posse *obtrudi* extraneum in vitis Canonicis, c. *Bona*, 4. de postul. Prælat. ibi: *non poteramus, salvâ conscientia, eidem Ecclesia in alia persona, quæ de Regno Hungaria originem duceret, congruè providere, nec vellemus ei præficere alienum, quamvis honestius videretur, si Suffraganeus ad Metropolim suam accederet, quam Archiepiscopus ad metropolim transferetur, partem tamen eligimus potiore*. c. *nullus*, 13. dist. 61. ibi: *nullus in vitis detur Episcopus; tunc autem alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitate ipsius Clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit reperiri*. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesijs merito præferantur. Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obrepit; nec alij debitam alter sibi vindicare audeat mercedem. Sit facultas Clericis retinendi, si se viderint prægravari, & quos sibi ingeri ex transverso agnoverint, non timeant refutare. Qui etsi non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos rectorus est, debent habere judicium; sic Cælestinus Papa in *cit. c. nullus*. Ex quo sequitur, si nullus è Collegio idoneus reperiat, posse eligi extraneum ad Episcopatum, vel aliam Prælaturam five regularem, five sæcularem, c. *cum nobis*, 19. h. t. ut colligitur in integra lectione; & concluditur à fortiori, præsertim, cum tali casu adsit necessitas; quod etiam suadet, si utilitas Ecclesiæ major speratur ab extraneo, ut si ob singulares virtutes, & qualitates majus Ecclesiæ profuturus existimetur.

Ecc

Resp.



1847. Resp. 2. validam esse electionem extranei, etsi è gremio aequè idoneus haberi possit, factam vel à toto, vel à majori, & saniori parte Capituli, modò non obstat aliud impedimentum Canonicum. Nam nullibi talis electio reperitur cassanda; & eligendi *de gremio* principaliter in favorem Capituli introductum est, cui ipsum renuntiare potest, constat ex c. *cùm nobis*, 19. & c. *cùm inter*, 21. de elect. ubi, licet contra electum ex *Ecclesia extranea* quidam opponeret, non oportere ex alia Ecclesia (cui providendum est) reperiatur; Pontifex nihilominus illam electionem confirmavit, factam à majori, & saniori parte Capituli; ex quo sequitur, licet honestius esse videatur, si Canonici Prælatum ex propria Ecclesia eligant, dummodo aliquis idoneus ad sit, tamen id necessariū non esse; cùm juri suo in hoc renuntiare possint: ideòque validam fore electionem extranei, si fiat à majore parte, uti contra Gloss. hinc V. *aliam*, Imolam nu. 4. tradit Antonius nu. 25. Abbas nu. 8. & sumitur ex c. *à nobis*, 19. h. t. & ex hoc textu: quando Pontifex omnes contra electum factas objectiones, præter eam de morbo epileptico, tanquam frivolas rejecit.

1848. Sequitur 2. Episcopum alterius Ecclesiæ non posse eligi, sed debere postulari; Prælatum autem inferiorem Episcopò, pariter alterius Ecclesiæ, non debere postulari, sed posse eligi ad Episcopatum alterius Ecclesiæ. Nam hic non est spirituali matrimonio copulatus Ecclesiæ, in qua est; secus ille, sic Abbas in c. *cùm inter*, cit. n. 1.

1849. Dices: vis, seu potestas Capitularis residet in duabus partibus Capituli, L. *nulli*, 3. cum. seq. ff. *quod cuiusque univers. nomine*; ergo ut valeat electio extranei, non sufficit factam esse à majori parte. Resp. per dictam legem aliud non intendi, quàm duas partes Collegij debere esse præsentis, ut Collegium censetur esse congregatum; postquam autem est congregatum, & Capitulares non concordant, potestatem Capitularem esse penes majorem partem; sic Abbas cit. n. 6. imò interdum etiam penes minorem, ut dicemus in seqq.

\* \* \*

## ARTICULUS IV.

*De his, quæ præcedunt electionem.*

1850. **A**ntequam ad electionem procedatur, requiritur, Ecclesiam, de cujus eligendo pastore agitur, *vacare*, seu verè viduatam esse suo Pastore, c. *quia propter*, 42. h. t. ibi: *Ecclesijs viduatis*. Hinc amissio beneficij fit per *vacationem*, quæ à Latinis dicitur *cessatio*. Sicut enim apud Cæsarem 4. *bell. Gall. agri vacare* censentur, quando nihil proferunt, nec excoluntur; ita beneficium in jure *vacare* dicitur, quando omni possessore destitutum est, proindèque nemini prodest. Sic *vacans locus* appellatur, qui caret corpore, quo repleri solebat: in quo sensu Martianus L. *qui cetu*, §. *ult. ff. ad legem Juliam, de vi publ.* mulierem viduam dixit *vacantem*; aliud est *vacare*, & aliud *finiri*: nam Beneficiarij obitu beneficium *vacat*, quia non perit, sed possessore caret: pensio verò morte pensionarij non *vacat*, quia *finitur*, ac desinit.

1851. Not. autem 1. *vacationem* beneficij esse triplicem, seu, beneficium *vacare* dici tribus modis, scilicet aut facto tantum, aut jure tantum, aut facto simul, & jure. *Facto tantum* vacat beneficium, quando beneficiarius amittit possessionem, sed non titulum: ut si vi ab illius possessione deiciatur; *jure tantum* vacat, quando quis autoritate canonis, aut juris ita beneficiò privatus est, eò quòd quippiam fecerit, ut sine monitione, sine citatione, & sine ulla alia sententia privationis, possit illud Ordinarius conferre; quanquàm is, qui ipso jure privatur, possideat facto beneficium. *Facto simul, & jure* vacat, cùm obitu beneficiarij vacat: vel cùm quis illud deponit, & nondum est alteri collatum. V. Azor p. 2. l. 7. c. 15. ubi multos alios modos sub prædictis ponit.

1852. Not. 2. *vacationis* appellatione juxta Felinum in c. *Licet undique*, sub num. 2. *de offic. delegati*, & gloss. V. *vacabunt*, in c. *si propter*, de *rescript. in 6.* contineri omnem *vacationem*, seu *vacandi casum*. Ideo beneficium dicitur *vacare* tum per mortem, tum per resignationem, tum per privationem, ut docet Flamin. *de resig. l. 1. q. 5. nu. 4. & l. 8. q. 7. nu. 136.* Ampliatur etiam in materia pœnali per Staphil.